

# The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

## Religio e cum fonte primo

Michi arrogare non audeo ut domus mea  
melior sit quam archa Noe ubi tamen  
inter tot homines unus reprobus  
inuentus est; aut melior sit quam domus  
Abrahe cui dictum est:  
Eice ancillam et filium eius;

aut melior sit quam domus Ysaac  
cui de duobus geminis dictum est:  
Iacob dilexi, Esau autem odio habui.

quantum libet enim uigilet disciplina  
domus meae, homo sum et inter homines  
uiuo

nec mihi adrogare audeo, ut domus mea  
melior sit quam archa Noe, ubi tamen  
inter octo homines reprobus unus  
inuentus est; aut melior sit quam domus  
Abrahae, ubi dictum est:

Eice ancillam et filium eius  
(Gen. 21:10);

aut melior sit quam domus Isaac,  
cuius de duobus geminis dictum est:  
Iacob dilexi, Esau odio habui  
(Mal. 1:2)....

Augustinus Hipponensis, *Epistulae*, 78,  
8 (CSEL 34, A. Goldbacher ed., pp.343-  
4, ll.13-19, 1).

Simpliciter autem fateor

ex quo Deo seruire cepi  
quomodo sicut difficile sum expertus  
meliores quam qui in monasteriis  
profecerunt, ita non  
sum peiores expertus quam qui in  
monasterio defecerunt.

Augustinus in epistola ad Vincencium  
donatistam.

Simpliciter fateor

caritati uestrae coram domino deo  
nostro, qui testis est super animam  
meam,

ex quo deo seruire coepi:

quo modo difficile sum expertus  
meliores, quam qui in monasteriis  
profecerunt, ita non

sum expertus peiores, quam qui in  
monasteriis ceciderunt,

ita ut hinc arbitrer in Apocalypsi  
scriptum: Iustus iustior fiat et  
sordidus sordescat adhuc.

Augustinus Hipponensis, *Epistulae*, 78,  
9 (CSEL 34, A. Goldbacher ed., pp.344-  
5, ll.14-17, 1-3).